

§. 12. Nam earum figurarum, quas Natura sibi proponit, quaedam sunt velut substantia ac forma, alie quasi pictura, sed perfecta. Quae forma loco sunt (sic enim loquitur) aut massam lapidis sic aliterq; formant, eas casu & non in omnibus fieri dicit; non secus, ac varia in nubibus imagines generantur. Talis Alabandicus lapis inventus Friber, & imaginem simia ferens scutulum, habens rubrum, quod quatuor lineae circumambivere, quarum prima tertiaq; alba, secunda & quarta rubra: It. ejusdem generis habens formam crucis. *Figuras* reliquas seu *picturas*, siquidem frequenter reperiantur, casu contigisse, dici vix posse putat: v. g. ranarum ac piscium e cupro, in lapidum superficie delineatas, quae in Alfaria lacu juxta Misnenses montes saepius fuerint conspectae, in specie autem olruppae, quam Munsterus habuerit: Sed eas gaudere sua causa, quae ex eius mente varia est. *An igitur, inquit, quod hic piscis olruppa nempe, aliquando lapidi haerit, ideo cuprum rariore faelo lapide eruperit ea parte? an potius quod aqua semine piscis infecta transeat in metallum? seu sidere aliquo imprimente. An similitudine aliqua hoc natura finxit, velut & in animalium generatione? Ergo melius est, haec ad certas lapidum species transferre velut in animalibus & plantis, cum recte figurae delineatae fuerint, & frequens eventus.*

§. 13. Secundum autem figurarum genus, quae non frequenter, nec exacte delineatae reperiantur, casu ac inconstanti ratione, fieri, atq; fortuitum esse pronunciat, velut & in nebulis, & plumbum liqvescens, in aquam coniecto, & ossibus lucii piscis, ad instrumentorum rusticorum formam comparatis.

§. 14. Ex hac ~~quarta~~ tertia Classe autorum, qui distincte procedunt, & prolixissimus & accuratissimus est Jesuita, *Athanasius Kircherus*, (A a a) cujus *Itinerarium in insula Cypro*, ea qua fieri potest brevitate, cum exemplis, hic relaturus sum.

§. 15. *Quadruplex* autem iconogenefias ab ipso modus constituitur.

§. 16. 1.) *Fortuitum*. Quemadmodum phantasia hominum, dum caelum varietate nubium obductum videt, varia sibi, nunc dracones volantes, jam naves, modo montes, urbes & castella,

B 3

nunc

(A a a) In alleg. Mund. Subterr. lib. 8. sect. 1. cap. 9. cui Tit. De admirandis Naturae pictoricis operibus, formis & figuris, imaginibus, quas in lapidibus & gemmis delineavit, earumq; origine & causa.